HIERONYMUS. PS. IOHANNES CHRYSOSTOMUS. BEDA VENERABILIS
Göttweig, 2. Viertel 12. Jh. Seite 123r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36549
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



nutrit impudentiam suam & thesaurizat sibi iram indie
ire. Pena predicitur ut quem pudor non uicerat corrigant
de nuntiata supplicia. Quod autem sequitur. Bonum erat
illi si natus non fuisset homo ille. Non ideo putandus
est ante fuisse quam nasceretur. quia nulli possit esse bene
nisi ei qui fuerit. sed simpliciter dictum est. Multo melius esset
non subsistere quam male subsistere. Respondens autem
iudas qui tradidit eum dixit. Numquid ego sum rabbi. At ille
tu dixisti. Quia ceteri tristes & ualde tristes interrogauerant
Numquid ego sum domine. Ne tacendo prodere se uideretur. &
ipse similiter interrogat. quem conscientia remordebat. qui
manum audacter miserat in parapside. Numquid ego
sum rabbi. Et blandientis iungit affectum siue incre
dulitatis signum. Ceteri enim qui non erant proditores. dicunt.
numquid ego sum domine. iste qui proditurus erat. non dominum
sed magistrum uocat. quasi excusationem habeat. si domino
denegato saltem magistrum prodiderit. Et ait illi. Tu
dixisti. Cadere responsione confutatus est proditor. qua
pilato postea responsurus est. Cenantibus autem eis accepit
ihesus panem & benedixit ac fregit. deditque discipulis
suis. & ait. Accipite & manducate. hoc est corpus
meum. Et accipiens calicem gratias egit. & dedit illis dicens.
et reliqua. Postquam typicum pascha fuerat impletum.
& agni carnes cum apostolis commederat adsumpsit panem
qui confortat cor hominis & aduerum pasche transgreditur
sacramentum. Ut quomodo in prefiguratione eius melchisedech
summi dei sacerdos panem & uinum offerens. fecerat.
ipse quoque inuertiate sui corporis & sanguinis re